IESVS, MARIA, IOSEPH, ANTONIVS.

ALLEGATIONES

PRO

Iustificatione suspitionis propositæ per V. I. Doctorem D. Franciscum Brunum Brancacium in Supremo Italiæ Consilio.

CONTRA, ET ADVERSVS

Dominos Regentes D. Oratium de la Torre, & Don Petrum Velasco.

VVlgare est adagium, Excelentissime Domine Illustrissimi Senatores, in causa propria Aduocatū quere, sed quia pauper sum, dereliquerūt me omnes amici mei, & inimici mei contra me steterunt, vnde coactus fui hæc pauca pro mea summa iustitia dicere.

Causa recusationis per me proposita ne ad votandum interueniant Domini Regentes D. Oratius de la Torre, & D. Petrus de Velasco in omnibus negotijs meis, tam iustitiam, quam gratiam concernentibus habet modicā difficultatē, & est clara sicut Sol, propterea per infrascripta ad suā claritudinem demonstrandam deuenio.

Iuridicum remediū est, quod si aliquis iustam causam recusationis habet, absque mora eam proponat, & salutare Consiliū esse dixit.

> Rebuf. ad Reg. constit. tit. de recusat. in præfat. Petr. de Greg. Tholos. sintagm. iur. part. 3. lib. 49. cap. 3. in princip. Tap. de iure Neapolitan. tit. de suspect. official tit. 265. num. 3.

Et ideo iudex est suspectus allegandus, non solùm quando

A de

de eo aliquid mali suspicatur ex eius qualitate, sed etiam quando est simpliciter ingratus, & habet malã gratiam, quia ex sola ista causa recusari potest, prout est text. aureis litteris scribendus in §. illud quoque, vers. Sancimus, ibi: *Sub iudice constitui forsan suspecto, & forsan ingrato*, in authentic. de exhibendis reis.

Quia verò multas iustas causas habui dictos Dominos Regentes in suspectos allegandi ideo petitionẽ porrexi pro effectu prædicto in hoc Supremo Consilio, & quia tanquam suspecti allegati sunt, in dubitatum est, quod indignati fuerunt cũ Iudices quando suspecti allegantur indignari soleant.

Text. est in cap. suspitionis, de offic. deleg. gloss. vers. Foram prouocatus.

Mandos. in pract. comm. caus. tit. com. deput. adiuncto vers. Quas hic consulto.

Cum negari non potest quin iudex dum allegatur suspectus efficiatur iniuria, vt probat

Text. in l. litigatores, in princ. ff. de recept. arbitr. & cap. suspitionis, de offic. deleg. sup. cit.

Farinat. de testib. quæst. 80. num. 133. qui indubitate tenet contrahi inimicitiam.

Angel. in l. quæ omnia, ibi: *Magis conuicinũ*, ff. de proc.

Fontanell. decis. Cathal. tom. 1. decis. 1. num. 4.

Viu. opin. 866. num. 14.

Bald. in cap. super, de offic. deleg.

Ideo hãc solam sufficientẽ causam esse illos recusandi, dixit

Ambros. decis. 50. num. 58.

Enim periculosum est coram suspecto Iudice, & indignato litigare, ad

Text. in cap. cum inter, de except.

L. apertissimi, & ibi gloss. verb. Libello, C. de iudicijs.

Glos. in l. Prætor, versic. Cum iustam, in fin. ff. de iurisd. omn. iudicum.

Tusch. lit. S. concl. 910.

Aldouin. cons. 20. num. 45.

Amat. decis. 14. num. 15.

Couarr. pract. qq. cap. 26.

Equitatisque dictat ratio, quod nemo cogatur ferre Iudicẽ, qui

qui sibi aduersus suspectus, & inimicus est;

Capit. 2. requiris, de appellat.

Capit. quod suspecti 3. quæst. 5.

Multũ enim interest litigantium Iudicẽ habere beneuolũ;

L. fin. C. de offic. diuersor. iud.

Anton. Sola ad decret. Sabaud. tit. de suspit. iud. quam propon. gloss. 11. num. 18.

Rebuf. ad Reg. constit. de recusat. in præfat. n. 2.

Specul. tit. de recusat. iud. §. qualiter,

Cum durum sit per suspectos negotia geri, ita

Amat. decis. 14. num. 15.

Citat. Ambros. d. decis. 50. num. 54. & 55.

Magon. decis. Florentin. 63. num. 8.

Vant. de nullit. tit. coram quo nullit. num. 6.

Crauet. cons. 132. num. 25. in fin.

Quia tristissimi euentus inde sequi solent, vt adnotauerunt

Crauet. & Amat. loco sup. cit. &

Anton. Sol. cit. ad dictum decretum Sabaudiæ, tit. 10. de recusat. gloss. 1. num. 2.

Et ideo iure ciuili attento nulla requiritur causa ad suspectum iudicem allegandum, sed pars quę suspectum illum habet, iuramento solo interposito cum recusat.

D. l. apertissimi,

De iure vero Canonico iudex ex qualibet leui, & modica causa recusari potest, ad adnotata per

Glos. in cap. postremo, verb. Consanguineus, vers. Modicam enim causam, vbi Hostiens. Bellamera, Anton. de Butreo, & Franc. de appellationibus, vbi Decius cõmunẽ opinionẽ esse dicit, & testatur Tusch practic. conclus. verb. Suspectus, conclus. 908. n. 15. ac plures alios citat, & sequitur Farinac. in 2. p. fragm. litt. I. num. 777.

Et quod quælibet inimicitia in Iudice suspitionẽ inducit etiam si non sit capitalis; vel grauis, nam quod sit probabilis sufficit, dicit text. in

Cap. cum super, de offic. deleg. 3. quæst. 5. gloss. & Gemi. in cap. 2. de probat. lib. 6.

Nec inspicitur si initium, seu fomitem habuit a falso, vel a vero ab ipsis partibus, vel a tertio, ita

Innocent.in cap.cum I.& A.de re iudic. quē citat & sequitur Capic.decis.138.num.4.

Ampliatur supradicta incōtrouertibilis iuris conclusio, etiā si inimicitia esset præsumpta, vel si haberet iustam causam suspicandi eam.

Cacheran.decis.15.num.7.Viu.decis.363.num.3.Mascard.de probat.q.53.num.17.

Eritque iusta causa suspitionis inimicitiæ etiam si ipsi litigatores dederint cusam, & inimicitia ex culpa recusantis prouenit, vt prob.

Text.in l.si merces culpa, ff.locat.Glos.in l.Athletæ, ff. de excusat.tutor.& in cap.quia diuersitatis extra, de concess.præbend.Andr.in l.Imperialem §.præterea si inter duos, num.85.circa fin.de prohib.feu.alien.per Federic. Filip.de Franch.in cap.postremo, columm. pen. num.2. Ambros.cit.decis.50.num.62.Giurb.cons.crim.13.n.7 & rursus, cons.37.num.22.Latissimè Capic.dict.decis. 138.num.3.vbi

Dicit mente tenēdum esse, quod Iudex alterius factionis iustè, & ex ista sola causa potest recusari.

Indubitatū enim est, quod vna ex principalioribus causis recusandi Iudicē est inimicitia, & res noua non est, sed ab antiquo iam approbata, vti habetur

Deuteronom.cap.32.num.31.quis enim coram Iudice inimico litigabit, & sub eo, & cap.cum R.de offic.deleg.

Et in effectu committere causam inimico, idem importat quod committere alicui, quod faciat iniustitiam, vt dicit

Bartol.in tract.qui sint rebelles, verb. Nulli liberorum, plures allegat Caro de except.except.120.num.52.

Quod vero dicti Domini Regentes sunt mei inimici clarè dignosci potest ex causis a me propositis, & adductis tam in petitione porrecta in Supremo hoc Consilio, quæ sunt publicè, quam aliæ secrete, datæ a me in manibus Excellentissimi Domini Ducis Medinæ de las Torres Præsidentis cū dictæ, absque scandalo, & periculo probari non possunt iuxta obseruationē traditam per

Aufrer.de recusat.n.67.& docuer.Caualcan.de brach. Reg.p.3.num.340.Carol.de Tap.de iure Neapolit.tit. de

suf-

suspit.offi cial.tit.265.num.13.

Et hæc est cautela, quæ hodie in praxi obseruatur in similibus casibus, vt dix. præter supra citatos DD.

Idem Carol. de Tap. in ll. Regni, d. tit. de susp. offic. num. 10. versic. Extraiudicialiter, Mastrill. decis. 151. num. 99 lib. 2. Giurb. decis. 48. in fin. sub num. 6.

Inter publicas vero vna illa est scilicet, quod ego fui, & sum Aduocatus in causa suspitionis a D. Iosepho Salamone proposita in isto Supremo Consilio contra & aduersus dictos Dominos Regentes D. Oratium de la Torre, & D. Petrum Velasco vbi capita data sunt aliqua ex dictis duræ materiæ prout per illorũ lecturam cognosci potest, & nõ illari animo fuerunt recepta a dictis Dominis Regentibus, & sic euenit illa in controuertibilis iuris conclusio, nempe quod iusta causa suspitionis est illa fundata in odio contracto ex causa Aduocationis, ita voluerũt

Blanc. de indit. & tortur. num. 192. Merend. cons. 87. inter cons. crim. diuers. tom. 2. Farinat. quest. 49. in prax num. 73. quos citat & sequitur Rouitus super pragm. 1. de recusat. official. num. 55.

Ratio verò, quę à dictis assignatur est, quia Aduocatus incurrit in inimicitiã partis aduersæ contra quam patrocinium prę stat & ita dix.

Text. in l. qui operas. post princip. vbi gloss. ff. locat. & gloss. notab. in l. si pecuniam, in princip. in verb. Repetitur, ff. de condit. causa data; Lucas de Penna in l. 1. col. 2. in verb. Inimicus, versic. Item Aduocatus, C. de his qui se deferunt, lib. 10.

Cum indubitati iuris sit, quod Iudex vti inimicus, & suspectus recusari potest, vt ne interueniat in causa illius, qui vti Aduocatus patrocinatur in cau sis contra dictum Iudicem; ita in casu nostro terminanter dix.

Text. in l. 1. §. fin. vbi gloss. in verb. aduersario, ff. de calumniatoribus, cap. 2. de confessis. in 6. Abbat. in cap. 1. in 2. notabili, de iudic. & ibidem Felin. in 1. notabili, Paris de Puteo in tractat. de Sindicatu in verb. Suspitio, column. 4. ibi: *Et etiam quod dicitur de Aduocato; qui incurrit in inimicitiam partis contrariæ, &c.* idemque dix Rouit. loco sup. citat. num. 53. quos omnes citat & sequitur

tur Dominus Regens Donatus Antonius de Marinis, variar. resolut. lib. 1. cap. 210. per totum, qui in fortioribus terminis, & in puncto determinat casum nostrũ, & quam plurimas decis. Sacri Consilij Sanctæ Claræ, & Collateralis adducit, imò est videndus, Fontanell. decis. Catharlun. decis. 14. sub num. 26. vers. Secundo in causa cuiusdam litis, circa fin.

Igitur ex solo dicto capite dicti Domini Regentes debent vti suspecti declarari in omnibus meis negotijs, iuxta à me petita, cũ sit sufficiens ipsa sola ad dictam recusationem fundãdam ex supra traditis, nec dicta causa probari debet cum sit notoria, prout dix in proposito

Specul. tit. de iudic. delegat. §. superest, Francisc. Marc. decis. 708. n. 3. quos citat & sequitur Mastrill. decis. cit. 151. num. 97. Fontanell cit. decis. 19. in num. 2.

Constat enim ex actis me esse aduocatum dicti Don Iosephi Salamonis in prænarratis causis suspictionum contra dictos Dominos Regẽtes propositis in hoc Sacro, & Supremo Consilio Italię, & notoriũ illud dicitur, quod ex actis probatur

Socin. cons. 38. column. 7. vers. Septimo principaliter, lib. 1. Socin. Iun. cons. 16. num. 18. lib. 1. Paris. cons. 111. num. 7. lib. 4. Neuizzan. cons. 82. num. 32. quos allegat Menoch. de arbit. Iudic. centur. 2. casu 166. num. 6.

Recusationis suspectionisq; vero causa per testes, vel per scripturas probari potest, ad tradita per

Giurb. citat. decis. 48. sub num. 5.

Alia vero causa in petitione declarata illa fuit, nempè quod dicti Domini Regentes non solum videre, & cognoscere voluerunt dictam petitionem, imò ipsam relictam voluit Dominus Regens de Velasco prout toto Consilio est notum & constat, vnde euenit illa iuris conclusio, quod Iudex redditur suspectus, dum curiose, & animose in causa recusationis se ingerit, & ex hoc solùm rectè recusari potest, ita

Andr. in cap. seu, §. habita, post num. 16. vers. Item si Iudex pertinaciter, seu animosè, de statut. & consuetud. cõtra libertat. Eccles. qui citatur a Rouit. lo co sup. citat. n. 26. & melius dicit ipsemet in num. 61.

Tanto fortius, quia ex hac insolita, & non permissa diligentia,

tia, est aperte declarari eos haberi affectionē ad causā quo casu suspecti redduntur.

L. fin. in fin. C. de assessoribus, ibi: *Ne affectionis suæ memor incorrupti Iudicis non possit nomen perferre, &c.*

Aufrer. citat. de recusation. caus. 57.

Et quia mihi fuit ab vno Illustrissimo Domino Regente, qui iudicare debet motiuatum, quod qui non habet litem, vel causam non potest in suspectum Iudicem allegare pro negotijs respicientibus meram gratiam ad cuius motiui solutionē dico, quod non solum Iudex, sed quisvis alius, qui quoquo modo potest partem lædere recusari poterit, sic

Pancian. de probat. lib. 2. cap. 45. num. 93. Bobadill. lib. 3. cap. 7. num. 47. in fin.

Dixit vero determinātet in casu nostro in actibus voluntariè iurisdictionis, vbi tantum habent votum consultivum.

Gabed. decis. Lusitan. 64. part. 1.

Illustrissimus alius verò Dominus dixit, quod in Regno Neapolitano Aduocatus potest in suspectum Iudicem allegari, si patrocinauit contra ipsum, sed non hic in Hispania, & ego pace tanti viri, dico hoc fortius hic militari eo quia causæ suspitionis leuiter requiruntur, quam alibi, & ratio dictæ iuridice conclusionis (præter quod de iure communi ita est determinatum, & DD. citati ipso inspecto loquuti sunt) (& attenta dicti iuris communis dispositione, decidunt Domini Illustrissimi Iudicātes in isto Supremo Consilio) est quia Aduocatus in themmate proposito efficitur inimicus partis ad supradicta, & dicta ratio in omnibus Tribunalibus mundi militat cum certum sit, sine vlla controuersia, & vbique, quod inimicus suum inimicum Iudicem allegari in suspectum posse, quibus dictis deuenio ad aliud caput, quod est quod dicti Domini Regentes inter eos sunt non solùm amici strictissimi, sed quasi fratres quomodo publicum, & notorium est omnibus in hac Curia, & in hoc Supremo Consilio fuit in recusatione Illustris Ducis de la Montagna habito pro vero, & notorio facto, vnde dato pro constāti sicuti ex dictis incontrouertibile videtur, omnes duos dictos Dominos Regentes suspectos esse, attamen si pro aliquo aliquid dubium adesset, quod credere non possum stantibus causis prænarratis, attamen dato vno ex dictis Dominis Regē-

tibus

tibus pro suspecto necessariè, & per cōsequens debet alius suspectus declarari cum Iudex, collega, & amicus. Collegæ & alterius Iudicis recusati potest ex hac sola causa in suspectum allegari eritque satis sufficiens, ita terminanter

Gerar. Maynar. decis. 82. lib. 1. per totum, qui cum in specie casum nostrum decidit rogo, vt legatur Raudens. cōs. 47. num. 31. lib. 1. Rouit. loco sup. citat. num. 62.

Et postea ego in testimonium voco Deum, & vos omnes Illustrisimi Domini mei iudicare debentes ad istam meam veritatem attestandam cum omnibus notum sit quantum dicti Domini Regentes malum mihi volunt, & quomodo sunt veri mei inimici ò vtinam non essent, non mea culpa, quia semper ex parte mea, facere procuraui omnia, quæ facere debebat servus humilimus cum suis Dominis, & pauperrimus prætēdens, qui ab isto Supremo Senatu omnia sua bona sperat.

Et hæc currenti calamo breuiter scripsi pro summa iustitia notoriæ causæ recusationis propositę cætera, quæ desunt suppleant Illustrisimi Domini mei Iudicantes, quibus omnia subijcio.

Illustrisimarum Dominationum vestrarum

Humillimus, & deditissimus seruus Aduocatus in causa propria vtriusque iuris Doctor

D. Franciscus Brunus Brancatius.